



**Adami Tanneri E Societate Iesv, S. Theologiæ D. Et In  
Academia Ingolstad. Professoris, Theologiæ Scholasticæ  
Tomus ...**

Cum triplici Indice

De Fide, Spe, Charitate, Ivstitia, Religione, caeterisq[ue] virtutibus [et]  
vitijs: ac varijs hominum statibus. Secvndæ Secvndæ S. Thomæ  
Aqvinatis Respondens

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1627**

III. Quid & quotuplex sit posseßio; quomodo acquiratur; & quinam eius sint  
effectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72877](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72877)

sentientes cum nostra sententia conciliare niti-  
tur, quasi de usu independenti locuti fuerint.

D V B I V M III.

*Quid, & quotuplex sit possessio; quo modo acquiratur; & quinam eius sint effectus.*

Ad S. Thomam 2. 2. q. 66. a. 1. & 2.

25 **Q**uæritur primo, quid in presenti per possessionem proprie intelligatur. Respondeo; Possessio in proposito non accipitur pro ipsa possessione, sed vel pro actu, vel iure possidendi.

Actus possidendi dicitur *possessio facti*, & definitur à Iuristis ex Azona, Cod. de acquirenda possessione, & Ostiensis Summæ libro 2. *Corporalis rei detentio corporis & animi, iuris adminiculo concurrente*, hoc est, facta, iure non prohibente, quominus vera censeatur possessio; ne hinc excludatur iniusta possessio, ut recte notavit Lessius lib. 2. cap. 3. dub. 9. vocula autem, *Corporalis*, iuxta Theologos omittenda est, ut in simili dictum dub. præced.

26 **I**us possidendi vocatur *possessio iuris*, quæ definitur ex Bartolol. 1. ff. de acquirenda possessione. *Ius insistenti rei non prohibet possideri*. Quia particula ultima excluduntur res quædam, quæ ob dispositionem iuris, possideri à privatis non possunt, ut res sacræ, loca publica, &c.

Et quamvis Iuristæ (quos sequitur Sairus l. 9. Clavis regie cap. 3. numero 55.) videantur etiam hanc definitionem iniustæ possessioni accommodare, spectando scilicet forum externum, in quo qui non probatur malus, præsumitur bonus; tamen apud Theologos, qui conscientiam spectant, rectius ea ab hac definitione rejicitur, ut præter Sylvestrum V. *Dominium*. num. 3. Conradum. q. 14. Bannem ante quæst. 62. q. 1. de dominio, communiter docent recentiores Theologi.

27 **E**x quibus patet, possessionem facti (iustam) esse quiddam posterius iure in rem ipsam; qua de causa etiam amitti potest, salvo iure, seu dominio in rem ipsam: Possessionem iuris autem esse tum effectum iuris in rem ipsam sicut & possessionem facti; tum etiam speciale quoddam ius in rem possessam, ratione cuius Possessor potest pacifice rem tenere, atq; etiam armis tueri, ut dicitur.

28 **Q**uæritur secundo; Quotuplex sit, seu quomodo dividatur Possessio. Respondeo, Duplex distingui solet possessio. Civilis & naturalis. Civilis est, quæ solo animo retinetur; quamvis enim ad acquirendam possessionem requiratur adminiculum animi pariter & corporis, tamen ad continuandam possessionem, non item, Instit. de Interdictis §. *Possidere*.

Naturalis possessio est, quæ corpore simul & animo retinetur, circa rem tamen, quæ ab alio civiliter possidetur, qualis cernitur, tum in inuafore iniusto, tum etiam secundum aliquos in depositario, qui tamen verius non dicitur ipse possidere, sed Dominus cuius nomine rem alienam tenet per ipsum; ut videre est apud Molinam disp. 12. ex Institut. de Interdictis loc. cit.

29 **Q**uod si utraque possessio coniungatur, ea erit perfectissima; qualis est illa, quæ corpore simul & animo habetur, circa rem ab alio civiliter nullo modo possessam: qualem habet Dominus plenus in rem suam, à nullo possessam. Fructuarius autem possidet quidem rem alienam nomine suo, quoad usum vel usumfructum, sed non quoad dominium directum, ut ex Couarruua in regulam *Possessor* par. 2. num. 4. notat Lessius loc. cit. Et si quidam & hunc, & Commodatarium proprie possidere absolute negent.

30 **Q**uæritur tertio, Quot modis, & quibus, acquiri & amitti soleat possessio. Respondeo; possessio acquiritur his tribus modis. Primo, apprehensione rei veræ, quæ scilicet fit manibus aut pedibus. Secundo, apprehensione ficta, tali videlicet, quæ iuris autoritate, seu consuetudine recepta veræ æquiualeat; eique locus est, cum possessio aut per priorem possessorem alicui traditur, v. g. oblatione clauium, aut instrumenti, seu literarum, vel oculari inspectione, interueniente verbali solum traditione & acceptance; aut simili quodam modo etiam per Iudicem, aduersario veram & corporalem possessionem impediente. Tertio, sola legis seu statuti dispositione, in quibusdam locis, sine vlla alia apprehensione; quæ vocatur possessio *ciuilibissima* apud Couarruuiam lib. 3. variar. cap. 5. numero 6. & Molinam disputatione 12. Exempla & modos varios vide apud eodem.

31 **A**mittitur possessio rerum mobilium, tum civilis, tum naturalis: primo, sola voluntate possessoris, nolentis eam amplius possidere: secundo, amissione rei: Tertio, si quis alius v. g. fur sine inuafore res eiusmodi, etiam iniuste, & ignorante priore possessore, suo nomine occupet. Possessio vero rerum immobilium ob alterius occupationem non prius amittitur, quam prior possessor sciens occupationem alterius iniustam consentiat, vel negligat, non faciendo in continenti (nempe quamprimum spectatis circumstantijs commode potest, seu antequam ad alia negotia diuertat) quod in se est, ut alterum excludat, & se in possessione tueatur.

32 **Q**uæritur quarto, Quinam sint effectus, seu priuilegia possessionis. Respondeo; effectus seu priuilegia possessionis potissimum sunt tria. Primum, præscribere rem possessam, de quo infra; & sufficit ad hunc effectum possessio civilis. Secundum, quod *in pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*, regula 65. de Regulis Iuris in sexto. Tertium; in foro externo, possessor habet locum rei, non actoris; quocirca etiam ipsi non incumbit probatio. Attamen quoad priores duos effectus, requiritur bona fides. Addi potest, quod possessori licet possessionem etiam armis tueri, & vi aplatam in continenti repetere, salvo moderamine inculpate tutelæ, ut paulo ante indicauimus, & pluribus dictum disputatione 2. quæstio. 6. dub. 3. & 4. de bello. Plura Iuristæ in lib. 7. Cod. tit. 32. de acquir. & retinenda possess. & in l. *Quotiens duobus C.* de rei vindicatione.